



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XX. Aliqui valde insignes Metinæ Tyrones. Et recensentur quædam notatu dignissima fratrum Francisci Godoij, & Antonij Padillij

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

trocedere cogerent: euaderēt non utcunq; Sancti
 fed valde in sanctitate excellentes. Hæc dixi,
 tanquam testis oculatus confirmarem feruorem
 qui tunc in illo Nouitiatu vigeat.

CAPVT XX.

*ALIQVI VALDE INSIGNES
 ac feruentes Metinæ Tyrones. Et rece-
 sentur quedam notatu dignissima
 fratrum Francisci Godoy, &
 Antony Padilly.*



V o tempore P. Balthassar
 ctor & Magister Nouitiorum
 erat Metinæ, erat etiã Salma-
 ticæ P. Martinus Gucierius
 ctor & concionator (cuius po-
 stea faciemus mentionem) cu-
 etiam Deus D.N. altissimū de-
 dit Orationis donum, cum magna vi & efficac-
 tate verborum: ita vt rationibus, quas adferēbat,
 conuinceret, ac ligaret intellectus audientium,
 quod ego ipse adhuc sæcularis, & studiosus Theo-
 logiæ Vallis Oletæ animaduerti. Ingressus enim
 die quodam domū nostram professam, vt concio-
 nem audirē, nesciēs quis eam esset habiturus: fuit
 autem prædictus Pater: & paulò post, quàm audire
 inciperem, nesciens quis esset, aut quī vocaretur,
 aded obstupui spiritum illum, & efficacitatē, qua
 loquebatur, vt intra me ipsam dixerim, & nescio
 an etiam ore protulerim ductus interno sensu, quō
 in corde

in corde habebam: hic concionator non est sicut
cæteri, sed res quædam superior. Et quamuis mul-
tos alios insignes concionatores omnium Reli-
gionû, qui in ea ciuitate tunc florebat, audiuissem
oës tamen mihi visi sunt, valde inferiores res-
pectu eius, quæ audiebã. hanc etiã opinionẽ Salmã-
ticæ habebãt cõmuniter viri graues: nam ad eius
conciones plurimi Doctores, & Collegiales om-
niû Collegiorû, imò aliqui etiã in forma, & ordi-
ne Collegiali cõfluebãt. efficacitate autẽ suarû ra-
tionû multos studiosos, insignib. præditos dotib.
impulit ad renunciãdum mundo, & statum Reli-
giosum amplectendum: quorû nõ pauci Societatẽ
sunt ingressi. Sed cùm die quodã tristis esset, ac de-
solatus, quòd Collegiales maiorû Collegiorû ad
id nõ permoueretur, audiuit vocẽ sibi dicẽtẽ, bo-
nouit esset animo; breui enim sex ingressuros: quod
ita euenit. nã intra breue tẽpus sex fuerũt ingressi,
ex maioribus Collegijs bini ex singulis; & præter
hos alij etiam, in ipsa Vniuersitate valde eminentes.
ingressi sunt. Qui omnes Metinam iuerunt, vt
P. Balthassaris doctrina, & spiritu fruerentur: per
quem magna à Deo dona acceperunt. Inter quos
valde excelluerunt Ioannes Orthunus, & Fran-
ciscus Cordubensis, & Pater Doctõr Franciscus
Ribera, qui fuerat vnus sex Collegialium ma-
iorum, quos diximus. Sed quoniam maximẽ
Salmanticæ eorum vita resplenduit, cùm essent e-
iusdem Patris Balthassaris subditi, de eis agemus
inferiùs in capite trigésimo: nunc autem de
alijs duobus tantùm, & quẽ insi-
gnibus, atque illi fue-
runt, dicamus.

S. I.

§. I.

Frater Franciscus Godoius.

P R I M V M locum demus insigni Martyri Francisco Peretio Godoio oriundo ex Tirrigio Oppido Archiepiscopatus Toletani. Hic cum Salmanticae studeret; recepit se ad nostrum Collegium Exercitiorum spiritualium causa: in quibus tetigit cor eius Deus, ut mundo renunciret, & Societatem ingrederetur: habebat tamen non paucas difficultates ne tantae Vocacioni consentiret; & inter alias hanc, quae etsi in se reuera esset leuis, magnam tamen ipse reputabat, abscedenda scilicet esse mustacia; quae habebat valde longa; de quibus inaniter se iactabat, quasi signum elegantiae, & roboris sui. Sed praevaluit inspiratio Dei, qua impellente arripuit forfices, & illas proprijs manibus abscondit: sic enim videbatur iam inhabilis, & ineptus, ut posset in domum suam redire: Tantoque fervore admitti petijt in Societatem, ut statim admissum miserint Metinam ad Tyrocinium, ubi eodem semper fervore progressus est, fouente, & calcar ad id addente fervore suo Magistro.

C O N T E N D E B A T omnes suas actiones maxima, qua posset exactione, ac perfectione peragere: Et cum ibat ad culinam, ita sartagine, tripodes, ollasque ferreas tergebat ac defricabat, mundissimas & splendentes relinqueret, etiam magno adhibito labore. Et cuidam fratri dicenti, cur tantum laborem in rebus illis, ita ex-

tergebat

ergo disponeret, quæ mox essent iterum inficien-
da, respondit, se quotidie vesperi offerre sacratiffi-
simæ Virgini omnia opera, quæ illo die fecisset;
pudere autem se, rem aliquam illi offerre malè
terfam, & non satis mundam: ideoque opus non
rectè peractum. Ex quo apparet, quantam etiam
deuotionem erga Virginem sacratissimam gere-
ret, quantumque fructum talis deuotio in ipso
proferret. Nullam se mortificandi occasionem,
in quibus poterat, prætermittebat. Et cum pro a-
lijis res valde mûdas optaret, sibi tamen ipsi in Re-
fectorio, & præcipue si pœnitentiã aliquam face-
ret, sumendo scilicet sub mensa cibum, aut geni-
bus flexis, aut itãdo pro more Societatis, loco stro-
phioli, quod cõmuniter alij habet, accipiebat ipse
ex culina sordidissimũ, quem poterat habere pan-
nũ, quo & manus, & ipsum os abstergebat, vt hor-
rorem vinceret, quem sentiebat in ea re. Cum se-
mel peregrinaretur cum fratre Ioãne. Sã (qui po-
stea fuit præstans Euangelicus Operarius: hic so-
cius aduertit maxillam Francisci Peretij inflam-
matam, & sanguine conspersam; eò quod crabro
quidã morderet, & sanguinem extraheret: & nisi
locius eum abegisset, tulisset diutius Franciscus
importunũ crabronẽ: bonus enim frater modica
illa tolerantia exercebat se, vt totum postea san-
guinem, vitamque pro suo Creatore effunderet:
quod postea effecit. Hunc eius feruorem inflam-
mabant adhuc magis exhortationes P. Balthassa-
ris: in quibus ille singulari quadam vi præclaras
quasdam sententiã proferebat, valde apud se per-
pensas ac benè ruminatas: quæ tanquam columnæ
erant ædificij spiritualis animæ suæ; quas cum
P tanto

III

225

tanto spiritu diceret, penetrabant, & infigebantur in cordibus Nouitiorum: ita vt pertotam vitam, earum essent memores, & in occurrentibus necessitatibus ex vsu illis essent. Illarum sententiarum hæc erat vna: *nemo degeneret à præexcelsis cogitationibus filiorum DEI*. Qua eos exstimulabat, ad perseuerandum in sua vocatione; & re ipsa explenda generosa animi proposita, quæ Deus illis communicasset. Ad hæc sententia Francisco Godoio altè fuit impressa, vt vsu eius habuerit in maxima & gloriosissima pressura; quæ potuit ei in hac vita occurrere; nam existens adhuc in Tyrocinio, ingenuè se obtulit, vt iret in Brasiliam cum alijs quadraginta hominibus Societatis, quos Pater Ignatius Azeuedius, omnium eorum Prouincialis ac Superior secum deducebat.

ET vt varia Diuinæ prouidentiae consilia in huiusmodi vocationibus & ad huiusmodi cœpta apparent, referam huius occasionem. Habebat P. Balthassar prope se ad latus tamen Franciscum Godoium, cui nescio quid dabat vt acciperet; ad quod accipendum cum ille manum non tam citò extenderet, quia quid esset, non videbat, donec totam faciem verteret, vt videret: ex quo collegit Pater Balthassar defectum omnino in oculo illius lateris: (est autem verisimile fuisse oculum sinistrum, propter id, quod mox fuit secutum) interroganti autem Patri, an res ita haberet, falsus est, ita esse, & quod illum defectum, in examine quando ingressus est Societatem cœlasset, veritus ne

propter eum reijceretur. Valde hoc sensit bonus Pater, certò sibi persuadens, quòd Superiores essent illum, cum adhuc Novitius esset, dimissuri: eò quòd defectus esset magnus, & nominatim in futuris Sacerdotibus, in quibus sinister oculus (qui Canonis appellatur) esset necessarius. Et Pater quidem hoc significavit ipsi Francisco, sed simul addens, quòd si vellent in Societate remanere, illud esset aptum & vnicum medium, si se offerret ad profectiorem Brasiliensem cum illis quadraginta, ad eam destinatis; modò ipse tantum virium & animi in se sentiret: nam si ita esset, recipiebat in se, id à Patre Ignatio Azeuedio impetraturum. Cui Franciscus promptissimè respondit, se libentissimè ad gloriosum adeò coeptum profecturum. Pater igitur Balthassar retulit P. Azeuedio magnam fratri illius virtutem, licet naturalem illum defectum haberet, & addidit: (quamvis planè casu) illum esse valde peritum pulsandi cictharam, quòd fortè posset ex usu esse ad moderandam sylvestrium illorum Indorum feritatem. Placuit hæc informatio P. Azeuedio: atque ita secum illum accepit: Quare defectus ille naturalis conuersus est in spiritualem eius foelicitatem. Placuit enim D. nostro quòd in ipsa nauigatione omnes quadraginta inciderent in manus Gallorum Hæreticorum; qui impotenti, ac diabolica furia, omnes Martyrio affecerunt, varijs mortis generibus, in odium Catholicæ Romanæ fidei, ad quam gentibus illis prædicandam properabant, quemadmodum fusè refert Petrus Ribadinerius in vita Patris Francisci Borgij, Lib. 2. c. 10.

P a tertij

tertij Societatis Generalis, qui illos mittebat. Cùm igitur crudeles illi Carnifices, maſtandis illis inſiſterent, feruens Franciſcus Godoius Societatis ſuos animabat ſententia illa, quam à ſuo Magiſtro audiuerat, dicens elata voce: eia fratres: ne degeneremus à præcellis cogitationibus filiorum Dei: quibus verbis tantum animi robur illis addebat, vt ſimul omnes ad mortem ſubeundam ſeruiliter offerrent, propugnantes tanquam fideles filij honorem ſui cæleſtis Patris; ſummū ei, quem poterant, honorem tribuentes, cum quadraginta illis holocauſtis, quæ de ſe ipsis obtulerūt in odorem ſuauiſſimæ: quorū etiam fuit particeps P. Balthaſſar ob illam ignis diuini amoris ſcintillam, quam in vnum eorū iniecit.

§. II.

Pater Antonius Padilius.

ALTER Nouitiſ, cum quo mihi ſingularis fuit conſuetudo & amicitia, fuit P. Antonius Padilius, filius D. Ioannis Padillij (qui niſi morte fuiſſet præuentus, eſſe debuit Praefes Caſtillia,) & D. Mariæ Acunniæ Comitiffæ Buendij quorum vterque fuit ſanguinis illuſtriſſimi, noſtræque Societati addiſſimi: præcipue ipſa Comitiffa, quæ in omni virtute excelluit. Voluit Deus illorū pietatem in hac vita remunerare dāns eis filium vnum, & duas filias: omnes ad eam omnem virtutē propenſos, & ab infinita eius miſericordia cum benedictionis dulcedinibus præuētos, vt vix ex eis eſſet, qui ſuccedere vellet in ſua

Primogenituræ; sed omnes se reciperent ad Sacrum Religionis portum; & altera duarum filiarum, D. Aloysia Padillia, quæ mansit in sæculo; ut esset matri Comes, edito voto perpetuæ castitatis, coacta fuit petere dispensationem in illo voto, ob iustas, quæ interuenerunt, causas; ut nubere posset, ad familiæ successionem continuandam. Quæ tamen semper in desiderio, & vita fuit religiosa: & cum viro mortuo, vidua mansisset; rebus suis bene compositis facta est Monialis Carmelitana Discalceata: nec ita diu est, quod mortua sit, cum esset Priorissa Monasterij Lermensis. Et nisi historiæ præsentis terminos egrederer, maxima quæque dicere possem de parentibus, & filiis. Sed ut ad institutum nostrum veniamus, filius vnicus D. Antonius Padillius, qui proximè in Castiliæ præfecturâ post mortem parentis successisset: eius mortis benè memor; & attendens, quàm parum sit vitæ ad eò breui atque incertæ fidendum: si quidem nihil certi habere poterat, quòd sua prolixior esset futura, quàm sui genitoris fuisset: ex Dei inspiratione, ac impulsu statuit, sæculo abrenunciare, & fieri Religiosus. Inclinauit autè potius ad Societatem, consocius feruoris & spiritus, quem in illa vigere deprehendebat. Hoc eius animi decretum peruenit ad aures D. Petri Manrici, Patru sui, Canonici Sanctæ Ecclesiæ Toleranæ, qui ad ipsum litteras dedit, ponens ante oculos paternam domum, cuiuserat hæres; certamque spem promotionis in sæculo; & alia huius generis: quorum filij huius sæculi magnam ducunt rationem, & qui suos cognatos amore carnis, & sanguinis prosequuntur. Addebat quæ in litteris; nisi Antonius vellet,

ipsum existimare, has cogitationes esse pueriles, mitteret ad ipsum rationes, quibus ad talem meditationem induceretur. Ad quem Antonius octo folia chartæ propria manu scripta, in quibus graues appofuit rationes, quibus ad facili renunciandum, & Societatem ingrediendam inducebatur. Tales autem fuerunt rationes, vt Doctor Velazquius, Magistralis in eadem Ecclesia Toletana Canonicus, (qui postea fuit Archiepiscopus compostellanus) cui Patruus literas Nepotis ostenderat, vt ipsum de reo consulere: is, inquam, lectis literis, respondit se non posse sibi persuadere, eas rationes esse Nepotis eius, qui adeo esset iuuenis; sed aliquo Religiosum Societatis, aut alterius Instituti aut virum aliquem rerum peritum eas dictasse: quod si tamen Nepotis essent, iudicabar, nongocium esse Dei: ac propterea non posse ab ipso Patruo talem vocationem impediri. Quare Patruus ad Nepotem scripsit, dicens; facile conijci, rationes illas non ipsius esse; sed alterius cuiuspiam, qui eas ipsi dictasset. His literis acceptis D. Antonius contulit se ad Collegium Sancti Gregorij, quod est ordinis S. Dominici; & a Sacrae Theologiae Professoribus quaesuit: an liceret in casu aliquo iuramentum adhibere? Responderunt illi: si debitæ circumstantiæ sequentur, non solum licere, sed etiam esse meritum. Quod responsum ipso petente Theologus illi proprijs manibus subscriptum ei dederunt: ipse vero præmissa Confessione, & sacra Communionem, hanc sententiam in eadem charta scripsit: cum nunc nunc confessus communicauerim.

Dico

Dico coram Deo: & per ipsum Dominum, quem
 suscepi quòd null^o mihi rationes dictauerit, quas
 ad V. Dominationem misi; sed meas illas esse: Idq;
 propria manu subscripsit, chartamq; illam alijs
 suis litteris inclusam, in quibus inclusa chartæ
 mentionem, & rationem reddebat, ad Patrum
 misit. Is, acceptas litteras & chartam Canonico
 illi Velazquo ostendit, qui dixit: meritò esse tali
 scripto fidem adhibendam, ac propterea non esse
 D. Antonium à sua deliberatione impediendum.
 Patrus tamè, vt magis sibi satisfaceret, voluit il-
 lum venire Toletum, vt præsens cum illo ageret:
 D. Antonius Toletum veniens per dies aliquot in
 Patru domo mansit, vt eius vocatio magis exa-
 minaretur, & probaretur. Quam satis perspectam
 habens Patrus, aded approbavit, vt cum ipse me-
 D. Petrus Manriqueus sapius habuisset à Deo in-
 spirationes, vt Societatem ingrederetur; hæret-
 que valde dubius, nec se resolveret: videns Nepo-
 tis resolutionem, & constantiam, ipse quoq; re-
 soluit se, vt non amplius Dei Vocationi resiste-
 ret; pudore affectus, quòd iuuenis, in quo tot erant
 qualitates, & circumstantiæ ad manendum in sæ-
 culo, plus haberet animi, & fortitudinis ad renū-
 ciandum illi, quàm ipse iam senex: & ita re ipsa
 præstitit, & ingressus est Societatem, quod fa-
 ctum computari potest, inter præclara P. Antonij
 facinora, qui ex tunc inciperet, exemplo suo, &
 rationum suarum efficacitate animas ad Deum
 conuertere. Approbante igitur Patruo, acces-
 sit D. Antonius ad Patrem Emmanuelem Lo-
 petium Prouinciæ illius Præpositum Prouin-
 cialem, Toleti tunc in domo nostra manentem,

à quo petijt admitti in Societatem. Quod cum ille differret, amplexus D. Antonius columnam prope domus portam, dixit: se inde non exirum. Tunc Prouincialis dixit: si vis admitti, ad Castellanam Prouinciam te mittam: quia scilicet ita expediebat. Inierunt ergo consilium, vt moneretur P. Noster Generalis Franciscus Borgius (qui tunc erat in Aula Regis, cum Pij V. Pontificis Maximi Legato) qui litteras dedit ad Patrem Hieronymum Ribaldiū domus nostræ Vallis-Oletanæ Præpositum, vt illum ibi reciperet: & sic D. Antonius venit Vallis-Oletum, ex præmissa renunciatione Iuris, quod ad suos Status, & temporalia bona habebat; & reliquis omnibus præstitis, quæ necessaria erant, vt admitteretur, flexis genibus coram omnibus suæ familiaris dixit Domino Nostro: gratias tibi Domine ago, quod liberior iam sum ad tibi seruiendum. Mater igitur, & Auia D. Aloysia Padillia adhuc superstes (& quæ totius ditionis erat Domina) eum duxerunt ad domum nostram professam, vbi cum magna solennitate, & edificatione, & consolatione omnium fuit receptus, Anno 1572. cum esset annorum octodecim. Inde missus fuit Metinam ad Tyrocinium, vbi Pater Balthassar Aluarez hanc curam suscepit, vt strenuè illum solideque cælarer, cum ob hominis qualitatem, & quod post biennium editurus esset solennem Professionem; tum, quod in eo inueniret solidam dispositionem, & capacitatem ad progressum in virtute, quem promittebat feruens ad eum eius vocatio. Mortificabat ergo illum ad viuum circa honorem, ac delicias: duo scilicet capita, quæ Equites

iure

iuvenes magni faciunt, & solent illi tenacius adherere: faciebat, vt comederet non solum cibos communitatis ordinarios, sed illos etiam, à quibus naturalem aliquam habebat auersionem. Et cum intelligebat eum cibo aliquo delectari, iubebat aliquando ministrum; vt, cum inciperet illum sumere, ex mensa auferret: curabat, vt iret interdum ad portam, ibique cum mendicis cibum sumeret; vestibus vteretur vilissimis & abiectissimis totius domus; & reliquas publicas mortificationes præstaret, sicut alij nouitij. Ad quæ omnia valde proprium se exhibebat Antonius Padilius, cupiens non cedere alijs; sed potius omnes præcedere, & excellere: & quò maior in sæculo fuerat, eò se magis in Religione abijciebat. Cumque ceteri Tyrones in more haberent, vt ad se mortificandos breuiori ac detrita veste induti, comitarentur diebus Sabbathi emptorem ad macellum, quasi famuli essent domestici, & posita Culinaria aliqua tela super humeros portarent carnes, & in manibus etiam exta. Quod idem Antonius præstabat, mundum conculcans, ac de inanibus eius pompis in huiusmodi probationibus & exercitationibus triumphans. Quem cum ego Vallis-Oleti vidissem adeò elegantem, & Equo infidentem, plurimis famulis stipatum, inter alios Equites, valde admirans laudauì Deum, cum audirem, ipsum cum ingenti animi sui voluptate ire per plateas Metinenses huiusmodi carnibus oneratum. Videtur Deus D. N. Spiritum humilitatis ad agendum cum domesticis ei infudisse. Nam cum P. Balthassar exaggerare soleret æqualitatem, quæ esset in Societate, inter homines aliàs adeò inæ-

quales in nobilitate, Eruditione, & alijs dotibus Antonius ita se omnibus in agendo accommodabat quasi eorum esset minimus. Nec id fecit solum cum esset Nouitius; sed eandem rationem tenuit cum studeret, cum esset concionator, cum Rector ac denique per totam vitam.

ORNAVIT illū Deus magno & acuto ingenio adeoq; in litteris excelluit, ut per multos annos sacram Theologiam cum magna opinione proficeretur in hoc S. Ambrosij Collegio, in quo habere scribo. Fuit etiam insignis concionator, nec minus in hoc munere, quā Lectoris excellens: & semper nihilominus adeo humilis, & nullius dignitatis studiosus, ut non minus exēplo suo, quā verborum & sententijs concionaretur. Et audiui, quod una die quadam coram Rege Philippo secundo in Cappella eius Regia concionem habuisset: dixerit Res alijs magnatibus: sufficiens concio est, quod hunc Patrem videamus in suggestu. Et cum ego Rector essem Collegij, vehementer edificabar, & admirabar eius humilitatem, & subiectionem quam in omnibus præ se ferebat.

COMMUNICATUS illi est P. Balthassaris spiritus, & magnum Orationis & Recollectionis desiderium; ideoque interdum spiritualia exercitia faciebat, cuius causa singulis ferè annis conferebat se ad Collegium Villa-Gartiense, in quo est Societatis Tyrocinium, ibique per octo, & quatuordecim dies manens, intererat exhortationibus, & alijsque deuotionis Exercitijs, atque si Tyro aliquis esset. Id autem faciebat sæpè in festis Natalitijs, Septimana sancta, & in Paschate Resurrectionis: quibus diebus à lectionibus vacatur; & tunc

minimum in generalibus studiorum remissionibus; aut post longam aliquam peregrinationem, ut hac recollectione feruorem Spiritus repararet, qui solet studijs, & varijs negotijs relaxari. Fuit etiam huius Collegij S. Ambrosij, & Salmaticensis Rector: quod officium cum tanta integritate, & Religiosæ Observantiæ Zelo præstitit, ut seueritatis notaretur; ac diceretur à multis, quod subditos nimium premeret. Et quoniam subditorum filiorum Adam mos est, cum Reges, aut Principes; cum Iudices, aut Prælati, & Gubernatores eos premunt, id passioni, nimia seueritati, aut non rectè gubernantium intentioni tribuere, non verò Zelo boni eorum, qui ipsorum curæ sunt commissi: voluit P. Antonius in vltima sua ægritudine, ex qua obiit in hoc Collegio, in hac re satisfactionem dare. Nam cum Viaticum acciparet; & studiosi ac Patres sanctissimum Sacramentum comitaremur, in omnium præsentia protestatus est coram Dño, què tunc erat suscepturus: quod in toto suo regimine nihil fecisset quod nõ intelligeret esse ad maiore Dei gloriã. Ex qua eius attestacione adhuc magis ego certũ habui, quod aliàs certò mihi persuadebã. Et nihilominus mortè timebat ppter rationè Deo ipsi reddendã: & cũ hoc timore ei dicebat: si tu Dñe aded essès erga me parcus, & tenax, atq; ego erga te fui: magna esset mea miseria! cũ Pater quidã aded timidũ eũ videret interrogauit, an cõscientiæ remorsum sentiret ob aliq; lethale peccatum in 40. annis, quibus fuisset in Societate. Cui ille respondit, Iesu, quantum monstrum hoc esset! Religiosum, & peccatum lethale? non est cur eade re agatur. A Egrotantem illum visitans

D. Ia-

D. Iacobus Sarmientus Accunnius, (qui natus est Regis Catholici Legatus in Anglia) & interrogans causam tristitiæ, ac mœroris, quam præferbat: respondit, se valde sollicitum esse de sua salute: cui D. Iacobus dixit: & id vestra Reuerentia timet? Respondit Pater Antonius, quid ergo timerem? si hoc non timeam. Sed placuit Dominum D. N. timorem hunc ab eo remouere, & spem quædam certissimam suæ saluationis ei dare. Nam accepto Viatico, voluit solus remeare: & quæuis ex infirmitate adeò esset debilitatus, vt nequidem ipso lecto mouere se posset: erecto tamen medio corpore, & à puluinariis remoto, mansit in oratione, quasi duabus horis corâ Crucifixo valde deuoto, qui ibi erat; cum quo tanta cordis certitudine & affectu loquebatur, vt stuporem adferret cuidam Patri, per ianuarum rimas eum obseruanti. Oratione absoluta circa septimam horam matutinam Confessario suo dixit: hac nocte anima mea perueniet ad coelum, vt Matutinas ibi cæteris & cum Confessarius diceret, medicos non existimare tam breuem fore terminum: ipse idem repetijt; & cum quasi intra se ipsum loqueretur, hæc verba audiebantur: quid est Domine, quod timeam? cum mihi dixeris, quod me intra cor tuum habeas? si igitur intra cor tuum me habes, eam quocunque volueris: nihil enim est mihi timidum. In crepusculo vespertino petijt extremam Vnctionem, & voluit totum Collegium adesse: & cum non posset vocem extollere, submissè dixit Patri, curam eius gerenti, vt suo nomine veniam ab omnibus peteret de multis defectibus, quibus in vitæ suæ decursu, & illius ægritudinis eos scandalizasset.

dalizasset. Et cum Pater ille ab eo peteret, ut eius esset in caelo memor: ille ad eum iam de sua salute erat securus, ut dixerit: faciam, quia ibi non sunt ingrati. Et tunc coepit submissa voce, & paulatim dicere: *Letatus sum in his quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* His & alijs similibus verbis dictis, animam suam Deo tradidit decima hora noctis eiusdem diei, quo dixit, se in caelum iturum ad Matutinas decantandas, magnam nobis spem relinquens, quod in reliqua parte noctis Stolum suam esset abluturus, ut posset cum omni puritate illas decantare, & recipere Palmam & coronam gloriae, quam erat promeritus propter tam multa, quae in saeculo reliquit, ut Christum sequeretur, & plurimum quod in Religione fecit, & laboravit, ut illi placeret.

CAPVT XXI.

QUA RATIONE SE AD EXhortationes prepararet, daret q̄, in eisdem operam, ut Tyrones magnam acciperent Instituti sui notitiam, estimationem, & amorem.



UAMVIS dixerimus de efficacia exhortationum P. Balthassar's ad Nouitios, non erit abs re, modum explicare, quo ad eas habendas se preparabat; & quodnam ordinariè esset eorum argumentum ad eos docendos